DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES GIBBS,

Anglus.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT C. STEWART,

Academiæ Typographus.

MDCCCXXI.

THOMAE ARMSTRONG ARMIGERO,

LONDINI CHIRURGO.

Tibi amico et consobrino dilecto, quem non minus mens perspicax et erudita, quam mores suaves illustrent: hasce paginas editurus, occasionem libentissime arripio, grates reddendi, pro consilio et beneficiis quae plurima accepi.

Hoc testimonium sincerum quamvis pertenue animi beneficiorum haud immemoris gratum sit. Vale.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

Corpus humanum ad multos variosque morbos, tam generales, quam locales, proclive est. Ex his nulli quod ad naturam majoris momenti sunt, quam qui canalem implicant viscerum, quae alimentum ad corpus nutriendum necessarium recipit, idque ad varia munera vitae parat atque bene concoquit, partesque ejusdem inutiles aut noxias secernit, atque e corpore excernit.

Ex his autem est Dysenteria, quae nautas inter imprimis, totum alimentarium canalem occupat, cujus ex muniis rite confectis, salus, corporis robur, et vita, multum pendet; ita nulla in re medici, qui Classi Britannicae consulunt, praesertim in calidis regionibus, operam melius dare, aut prospectu feliciori ad bonum publicum conferre possunt, quam summa vi nitendo impetum morbi adeo gravis praecavere vel sistere, aut remediis citissimis et efficacissimis tollere, si fieri potest, et curationem promovere.

HISTORIA MORBI.

Hic morbus aestate et autumno, quam hyeme aut vere, magis saevit. Sed in regionibus septentrionalibus, nisi plus solito adsit calor, rarius apparet. In locis vero calidis ac tropicis saepe occurrit, ubi febres intermittentes atque remittentes maxime abundant.

Inter convalescentes, aut illos, qui morbo

priore vel intemperantia multum debilitati sunt, frequenter accidit, in castris, nosocomiis, et navibus etiam plus justo stipatis. Attamen in navibus regulis propriis subjectis nunquam fere adoritur.

In calidis quam frigidis terris, plus subiti sunt ejus impetus, et graviorem indolem cum febre typhoidea induit.

Interdum incipit eodem modo ac diarrhoea, et duos vel tres dies sine aliis signis latet. Hi enim duo morbi, alius in alium transeunt. Aegros, languore et lassitudine praegressis, de doloribus circa lumbos duos quatuorve dies querentes vidi, priusquam morbus propriis signis se ostenderit; aliquando primo dolet abdomen, et tormina atque inflatio id obstipatione urgent.

Sed plerumque hoc modo aggreditur morbus de quo agimus.

Aeger sensu frigoris, rigoribus, dolore capitis,

ac dorsi, et lassitudine corripitur, et plerumque sub coelo calido gravi biloso vomitu. His brevi accedunt calor maximus, pulsus durus, validus, cutis arida, atque sitis inexplebilis. Haud multo post vehementibus abdomen afficitur doloribus, quos excipit desiderium solicitum desidendi sine effectu optato, et nihil nisi mucus sanguine mistus, vel sanguis purus aliquando dejicitur. Dum res ita se habent, faeces nunquam naturales sunt, et, cum dejiciuntur, quod raro sine ope medicamentorum accidit, in duris et concretis massis apparent, sed multum levaminis plerumque praebent.

Pyrexia plus minusve urget, et in primis stadiis morbi acris generis est; et anorexia, concoctio mala aut imminuta, atque debilitas quoque comitantur. Haec, cum pervigilia, corporis vires gradatim exhauriunt, et morbo progrediente nisi idonea medicamina adhibeantur, fere semper augescunt, pulsus debilior et ventriculus fit irritabilior. Tormina plerumque circa umbilicum, partemque abdominis inferiorem

vexant, et febris, quae primo acriter agebat, typhoidea tandem evadit. In stadio provectiori saepius accidit, ut substantiae diversi generis, nunc membranaceae, nunc caseo similes, et interdum pus vel saniem referentes dejiciantur. In hoc stadio morbi faetidiores fiunt dejectiones, et haud raro ischuria et dysuria plus minusve excruciant. Lingua, quae morbo ineunte albo, nunc nigro muco obducitur.

E nisibus violentis haud infrequenter contingit ut descendat recti portio, quae extrorsum diu manet, et multum doloris et molestiae gignit. In Aegypto ubi Dysenteriam pessima in forma vidi saevire, prolapsus ani saepe in gangraenam desinit.

Duratio morbi incerta est, et ex signorum vehementia, et statu corporis maxime pendet. Ubi inflammationis urgent signa, quibus alia putridae naturae accedunt, simul viribus multum fractis; vel si indicia debilitatis ab initio se manifestant cum febre typhoidea, ventriculus

multum afficitur anorexia, et halitus male olet, et sine voluntate dejectiones faetidae e corpore ejiciuntur, morbus plerumque intra paucos dies in mortem desinit.

Contra vero, ubi mitiora sunt signa, et vires corporis non tam conquassantur, morbus per tres hebdomadas, mensem, aut multò diutius produci potest.

In aegris phthisi imbutis, saepissime lethalem fieri, et in iis asthmate affectis sanatu difficilliorem, eum plerumque inveni.

Quando morbus lethalis est evasurus, ingravescunt signa, graviores abdominis dolores, et non intermittunt, plus urget desiderium dejiciendi, et quodcumque dejiciatur, admodum faetidum est, et saepe cum sanie et rebus sanguineis coagulatis conjungitur. Tunc pulsus fit debilis et celer, sitis magna, respiratio difficilis et accelerata : ventriculus instanter rejicit cibum et potum, et debilior fit aeger. Vultus pallidus, col-

lapsusve, faeces et urina, homine inscio, elabuntur, deglutitio diffiiclis, et extrema frigescunt. Denique subito remittunt dolores, singultus accedit, sudores frigidi circa frontem atque pectus erumpunt; quae plerumque vitae miserandae finem imponunt.

Contra vero, si eventum faustum liceat expectare, mitiora evadunt tormina et tenesmus, dejectiones sunt magis naturalis coloris, febris subsidet, sitis minuitur, pulsus regularis, appetitus sensim redit, et sudor lenis per universum corpus extenditur. His praeeuntibus valetudo et corporis vires paulatim reficiuntur.

DIAGNOSIS.

Hic morbus Diarrhoeam, et praesertim ad initium, nonnihil refert; sed in progressu torminibus, tenesmo, et aspectu dejectionum, quae plus minusve comitantur, ab ea facile dignosci potest. In Diarrhoea dejectiones sunt liberae,

sine dolore, atque naturalem colorem exhibent, nulla febre comitante.

Inter Choleram et morbum, quem prosequimur, facilis est diagnosis. In illa enim adsunt vomitus continuus, dejectiones biliosae, quae fere semper ejusdem naturae sunt cum vomitu. Nec non ingens est virium defectus, surarum spasmata, quae bene dignoscunt, et debilitas adeo magna, ut mortem viginti quatuor horis interdum inferat.

Dysenteriam ab Enteritide, impetus subitus, ardens et vehemens abdominis dolor, qui haud se remittet, quae huic insunt, facile distinguunt. Porro alvus astricta, pulsus parvus et exilis, ventriculi irritabilitas insignis, vultus pallidus, anxius, cutis arida, et sitis magna, manifestam diagnosin faciunt, cui inexpertus facile assentiatur.

PROGNOSIS.

Prognosis hujus morbi e natura signorum, an acria an lenia sint, maximè pendebit. Si vehementer ardet pyrexia, quae praeter solitum auget actionem cordis et arteriarum, et intolerabilem infert calorem; aut si febris cito typhoidea fit, et cum signis putredinis, atque ingentis debilitatis ab initio se ostendit, et praecipue, si morbus in tropicis regionibus, aut circa oras maris Mediterranei adoritur, multum periculi est timendum. Contra autem, si mitia sunt signa, neque adest febris typhoidea cum omnibus signis, nec non si morbus in frigidis terris occurret, felicem prognosin plerumque licet praesagire.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Hujus generis causae omnes, quae in corpus humanum vel partim vel universè agunt, debilitatem inducunt, idque ad vim causarum excitantium magis proclive reddunt. Inter has, quae praedisponunt, tenuis et putridus cibus, immodica corporis exercitatio, diuturna ad ardentes radios solis expositio, evacuationes profusae, animi affectus deprementes, veluti moeror, metus, anxietas, jure enumerari possunt.

His enim causis concoctionis organon saepe afficitur, neque ad fungenda solita munera habile fit, neque cibum rite parat ad corpus nutriendum. Haud infrequenter adsunt cardialgia, vomitus, ructus, et alia dyspepsiae signa, quae genus nervosum debilitant; et ex corpore male nutrito, debilitas aliaque mala oriuntur.

Ebrietas, cui nautae frequentissimè indulgent

quando terra potiuntur, fere eodem modo agit concoctionis vires debilitando; valido praesertim stimulo prope tunicas ventriculi admoto, qua vi in genus nervosum pollet. Quinetiam corpus aliis praedisponentibus causis obnoxium redditur impressionibus, nempe aëris frigidi et humidi in calidis regionibus noctu, quae debilitatem inferunt, et accessioni morbi maximè favent. Hinc frigus valida causa praedisponens jure recensetur, quod tamen alii vim excitandi morbum habere putant. Hunc enim morbum in navibus bellicis ex India Orientale ad Angliam redeuntibus quae hujus mali erant prorsus immunes, donec in latitudinem Borealem pervenissent, accedere observavi; sed in his exemplis morbum latuisse, et quibusdam rebus opus fuisse tantum, quae eum inducerent, satis credo, praesertim inter eos qui Dysenteria in India affecti erant. Frigus dictum est ad hunc morbum proclivitatem maximè dare, et hoc accidere praecipue observo, si calor vehemens antecedat. Satis constat morbo maxime obnoxios fieri nautas, qui in regionibus tropicis degunt, e

subitis praesertim vicissitudinibus quae eveniunt, atque corporibus suis laxatis et debilitatis calore ingente, posteaque noctis objectis frigidae humiditate quae ut causa admodum debilitans fere semper agit. Quin et perspiratione subito suppressa, sanguis cavis internis repellitur, quod simul cum causa excitante primum morbi stadium inducit.

Porro proclivitas magna ad Dysenteriam e relaxatione et debilitate, modoque vitae in calidis regionibus, pendere et augeri potest.

Haec cum aliis supradictis actionem cordis et arteriarum minuunt, et corpus magis obnoxium reddunt.

Calor intensus et perspiratio copiosa sitim magnam sponte inducunt, ad quam levandam natura potus largos monet, quibus plerumque acescentibus ventriculus plus justo impletur; usu nempe libero succi citrici, aliorum fructuum qui in regionibus calidis nascuntur, concoctio

impeditur, et haud raro sequetur Diarrhoea, quae debilitando viscera intestinorum, sine dubio praedisponit.

Praeterea vehementem ad superficiem corporis impetum humoris calor eliciens, ejusdem defectum parem in aliis partibus, praesertim in cavis intestinorum, facile infert, et in vasis earundem partium, mutationes morbidae sequuntur. Ex aucta enim et continuata actione vasorum cutis, ea plus solito distenduntur, quo fit ut infirma atque praeter naturam irratibiliora fiant. Hoc satis constat, insolita ulla corporis exercitatione, sudores profusi per totum corpus cieantur, atque, ut antea dixi, pari modo fluida internis cavis imminuantur, necesse est. Haec cum causis ante dictis ad debilitatem magnam efficiendum in omni parte corporis valent, et in nulla, plusquam cavis internis, quod haec inter et superficiem cutis magnus consensus observatur.

CAUSAE EXCITANTES.

Morbum ex acri materia in corpore genita, atque in intestina effusa, oriri plurimi sibi persuasum habent ; sed quomodo, si adsit, gigni possit, qualis naturae sit, nobis prorsus ignotum est. Materiam in corpore retentam noxias sibi posse vires assumere, quae ex perspiratione subito suppressa et introrsum repulsa, originem inducere possit, diu putatum est. Validum est argumentum cur causa excitans habeatur, quippe hic morbus milites in castris adoritur. Sed ex hac re ratio reddi vix potest, cur frequentius in calidis, quam frigidis regionibus aggrediatur.

Bilis acris pro causa excitante jure habetur; sed morbus haud raro, per tempus longum, prius se ostendit, quam illa dejiciatur. Veruntamen in omnibus exemplis nimia copia intestinis fuit, atque alvum plus aequo solvit. Contra

vero, eam exigua in copia inesse mihi saepe observatum est, atque parcius suppeditari. Hoc ex natura faecum satis patet.

Morbus effluviis, quae ex animalibus et vegetabilibus putridis originem trahunt, sine dubio, excitatur. Haec miasmata vi nociva in ventriculum ac intestima pollent, nauseam, vomitum atque diarrhoeam inducunt. Me judice praecipue excitant, sed variis modis variant, multaque alia auxiliantur.

Cum apud Constantinopolin in nave bellica fui, morbum nautas corripuisse memini. Fontem ejus nulli rei alii nisi huic, nempe quod anchoras propius littus jecerimus, juxtaque locum, in quo faetidae sordes oppidanorum dispositae sunt, attribuere potui. In navi quoque bellica, Septembre, Octobre, et Novembre, mensibus, Gadibus adfui, atque per id temporis spatium ad anchoras stetimus. Nautici, praesertim cum Eurus spiravit, Dysenteria saepe afficiebantur; atque ex paludosa, humili terra, quin putridae

exhalationes oriantur, vix dubium est. Sequente anno, iisdem mensibus, apud Portum (Mahon) Minorcae insulam, à me repertum est, naves, quae prope urbem jacebant, gravi Dysenteria loborare, aliasque apud ostium Portus parum vel nihil affici. In Sardinia quoque insula in mare Mediterraneo, Septembre et Octobre, anno 1815, mihi vivere contigit, et ubi loci admodum fervida fuit temperies per diem, cum auris grate reficientibus, quas graves rores comitati sunt, qui sensum frigoris corporibus, sole ardente exhaustis intulerunt, adeo ut vix aliquid simile unquam experti simus. Ibi grassabantur Dysenteria, Intermittentes, Remittentes febres, cum Cholera morbo, atque eas ex una eademque causa originem ducere mihi visum est.

In bellicis navibus contagiosam esse Dysenteriam vix unquam novi.

In castris et navibus huic morbo non adeo obnoxios esse praefectos ac gregarios diu observatum est. Verum eos esse mihi persuasum est. Ratio enim vivendi illis lautior, vestimen-

ta ad variabile coelo resistendum magis aptá, aëre plus puro fruuntur, et praeterea desunt multae depressiones animi, quibus nautae saepe implicantur.

Doctor Blair, de hoc morbo disserens, inquit se haud raro aliam partem Navalium Comitum conspexisse Dysenteria, aliam febre laborare. Hoc autem ex varia ac diversa constitutione, causis occasionalibus, tempestatibus coeli ac anni, diversis generibus vitae, atque morbis inter naves valentibus, multum pendebit.

Doctor Cleghorn, de Epidemicis morbis, ita scribit: "In this year, in the space of three "months, I had more patients with bloody "fluxes, than in all the former part of my life; "that their increasing frequency and singular "severity was chiefly owing to the sour da-"maged wine, which, for the sake of gain, was "at that time sold in the Island by those whose "duty it was to have prevented such abuses. "But be this as it may, it is certain incredible

"havoc was made by these distempers among "the lower sort of the natives, as well as the "soldiers and sailors of his Majesty's fleet which "was then in the harbour."

Ratio quare hic morbus magis aestate et autumno, quam hyeme aut vere, et in calidis quam frigidis regionibus grassetur, attribui fortasse debet vicissitudinibus minus subitis, corporibus validioribus atque adeo non solutis, ideoque ad morbidas mutationes in solidis ac fluidis minus proclivibus. Sydenham quoque ita loquitur: "Animadverti morbum hunc uti nunc ita semper, autumni invadere solere, et adpropinquanti hiemi pro tempore cedere; cum vero annorum series eidem Epidemico producendo nimium faveat, unum alterumve, etiam quovis "alio tempore potest ferire; quin et circa veris "ingressum, forte etiam maturius (si nempe "aura calidior intemperantia gelu, derepente "soluto, mox supervenerit), plures aliquot incessere."

CAUSA PROXIMA.

Proxima causa morbi a celeberrimo Culleno constare dicitur ex inflammatione tunicarum intestinorum internarum, et praesertim coli et recti, atque earundem strictura spasmodica. Bene notum est ex cadaveris incisione colon et rectum, aliquando minora intestina inflammatione nonnunquam gangrena corripi. Glandulae mucosae apud flexuram segmoideam coli atque partem inferiorem recti tumefactae et exulceratae sunt; et convolutiones ilii fere semper adhaerent, et morbidas mutationes ostendunt. Aliae causae, ut torpor arteriarum exhalantium in superficiem corporis et vasorum secernentium hepatis adlatae sunt. Imminutae secretiones variis in corporis partibus morbum augere possunt, sed, me judice, potius effectus, quam causae morbi recensentur.

RATIO MEDENDI.

Haec in quatuor consilia dividi potest quae paucis in verbis singulatim absolvam.

In primo, minuere oportet auctam actionem cordis et arteriarum, etiamque localem inflammationem intestinorum tollere.

In secundo, intestina evacuare, atque eorum sanam purgationem promovere.

In tertio, intestinorum spasmum solvere, atque superficiei corporis relaxationem et actionem exhalantium promovere.

In quarto, intestinorum tonum, atque vires et robur corporis restituere, et reditum morbi prohibere.

In exequendo primum consilium, missio san-

guinis remedium est inter nautas efficacissimum, sed secundum vires aegri repeti debet. Huic sententiae assentitur Sydenhamus, qui ita loquitur: "Mittatur sanguis e brachio quamprimum;" * atque in alia parte ejusdem operis, idem auctor his verbis utitur: "in Dysenteria male curata, dolores aliquando aegrum ad annos aliquot discruciant, in hoc casu phlebotomia repetita pristinam sanitatem restituit." Eidem rei consentiunt Doctoris Cleghorn verba sequentia: "I confided principally in the early use of the antiphlogistic method, with a view to hinder the guts from being further inflamed or ulcerated. Wherefore when I was called in time to young people, I took away ten or twelve ounces of blood immediately, and repeated it once or twice at proper intervals, according to the violence of the pain, and degree of fever indicated." Porro fomenta simul abdomini adhiberi atque saepe re-

---

* Opera Omnia, p. 601.

peti debent: et enemata domestica, cum blandis et tepidis potionibus multum prosunt.

Ad secundum consilium nunc ventum est, quod fuit intestina evacuare, atque eorum purgationem sanam promovere. Ad haec conficienda varia remedia praescripta sunt. Usus submuriatus hydrargyri in mare Mediterraneo atque India Occidentale laudem maximam nactus est, cui alia auxilia conjunguntur, et non tantum consilio promovendi dejectionem alvi, sed etiam systema afficiendi adhibetur. Nonnulli ejus usum ad drachmae dimidium usque ter in die commendarunt. Hoc autem medicamentum in tantis dosibus exhibitum constitutioni corporis nocere, tardamque reddere sanationem mihi diu observatum est. Bonos effectus medicaminum purgantium etiam in systemate afficiendo, ex parvis dosibus, et saepe repetitis potius inductos esse. Sex grana hujus medicamenti noctu plerumque praescribere solitus sum, atque sequente aurora, olei ricini unciam vel sulphatis

magnesiae semunciam in unciis decocti hordei octo solutam, quae plenam intestinorum evacuationem plerumque induxit. Porro callicoccae ipecacuanhae grana tria quaque tertia hora sumenda, atque alternis diebus oleum ricini alvum satis laxam tenuit, sanguinem cutem versus promovent, atque vehementia morbi indicia maximè levant.

Tertium consilium praecipue constat in spasmum intestinorum levando, superficiem corporis laxando, atque exhalantium actionem promovendo. In hac indicatione perficienda injectiones emollientes mane et vespere, ut infusum lini usitat: in tepida forma, vel quoddam ex blandis vegetabilibus oleis vel amylum in aqua calida, cum paucis tincturae opii guttis maximè juvant. His accedunt semicupium, tincturae opii guttae xxx. sub noctem, atque magna in copia demulcentia. Imprimis abdomen tenere oportet panno laneo arctè circumdatum, quod aegri viribus multum favet. Porro linimentis anodynis abdomen fricare quoque prodest. Ex

his remediis optimi effectus sequuntur, nempe tormina et tenesmus levantur, liber cutis halitus promovetur, vires corporis exhaustae opii effectibus reficiuntur.

Quarta indicatio sanationis restituendo tonum intestinorum, renovando vires et robur corporis, et prohibendo morbum consistit.

Ad restituendum tonum intestinorum, nihil quam vegetabilia et amara magis pollet, et quod flatulentia semper comitatur, aromatica praecipue indicantur. Si, per statum convalescentiae, alvus fieret adstricta, dosis modica rhei palmati, et magnesiae commodè sumenda sit. Pauci cyathi vini generosi quotidie sumi possunt. Vestimenta calida sunt servanda; frigore, humiditate omnibusque vicissitudinibus subitis cautè evitatis. Haec observanda sunt pro tempore haud brevi etiam post morbi curationem.

FINIS.

Excudebat C. Stewart.